MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1005
23

XV
MERCKL
7

JOHANNIS ABRAHAMI MERCKLINI
MED. DOCT.
GEORG. ABRAH. FIL. ET NEP.

DE

FELICIORI NUNC QUAM OLIM
MEDICINA
DIASCEPSIS:

Plurima Neotericorum Inventa Medica breviter complectens.



PATAVII, MDCXCVI.

Ex Typographia Sebaſtiani Spera in Deo.
Superiorum Permiſſu.

187

Perilluſtri & Encyclopedico

VIRO

ANTONIO MAGLIABECHIO

MAGNI HETRURIÆ DUCIS

Bibliothecario nulli ſecundo

PATRONO COLENDISSIMO

Felicitatem!

IAM non ignoro, vix à me quicquam poſſe præſtari, quod Illuſtri Tuo Nomine dignum appareat; audeo tamen Tibi aliquid deferre: ecquid enim non deferam? Siquidem meum omninò eſt, ut humaniſsimum Affectum, & immenſam Animi promptitudinem, quibus immerentem coràm excipere dignatus

es,

es, teſtatiſsimum faciam. Nondum quippe bis duo proceſsère menſes, ex quo Neapoli & Roma redux, cùm florentiſsimam Florentiam ſalutarem, ad aſpectum Tuum perventus & oſcula, benigniſsimo Sinu, Amoreq; prorſus ſingulari me complectebaris, exprömptum in Germanos favorem, uberrimè teſtatus. Cognito mox nomine ad refertiſsimum Muſeum me conducere, Perdilecti D. Parentis *in lucem edita Opuſcula, uno quaſi momento lætus depromere, denique, quod benevolentiæ Leges penè ſuperat, rariſsimos aliquot Tractatus, (quos quolibet theſauro pretioſiores habeo) in donum afferre, non dubitaſti. Quid multa? Tanta extitit Animi Tui Comitas ac Gratia ſingularis, ut condignis eam celebrare verbis, imparem longè me agnoſcam. Inſurgerem hic meritò in laudes Tuas; enumerarem publica Merita & privata; Te Senſu exactisſimo, Ingenio raro & præcellenti, Diſciplinarum omnium eruditione inſignem, aut rectiùs publicum Muſarum Interpretem, deprædicarem; Te, quòd non facile in Literato reperire eſt, minimè ambitioſum adjicerem; Mores denique Tuos ad pietatem prorſus compoſitos, atque ab omni voluptate remotos, recenſerem; Sed neque ſatis Eloquentiæ mihi ſuppetit, neque Humanitas & Modeſtia Tua permittunt, ut laudes has, meritiſsimas quamvis, proſequerer. Ego verò tantopere Tibi devinctus, cùm omni alio compenſationis genere deſtituar, qualiſcunque redhoſtimenti, promptisſimæ*

ſimæ

ſimæque contrà voluntatis conteſtandæ, tenues haſce pagellas, tantò audacius Magno Nomini Tuo inſcribo, quantò Tu potiſsimùm, quo ſummoperè glorior, edendarum earum, occaſione mellitiſsimi diſcurſus, in quẽ mecum de hac Materia forte incideras, Author fuiſti Suaſorque. Serena igitur fronte exiguum hoc, quod reoffero, accipe, certus, ſi genius faveat, & fata ſinant, majora me aliquando daturum, Teque digniora. DEUM interea veneror, ut Te Literatorum Phœnicem & Italiæ decus, in Gloriæ immortalis famam, diu ſalvum ſervet ac ſoſpitem. Vale.

Celeberrimo Tuo Nomini

Dat. Patavii
Prid. Kalend. Septembr.
M DC XCVI.

Cultor addictiſsimus
Joh. Abrah. Mercklinus, D.
Georg. Alr. Fil. & Nep.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM BENEVOLUM.

EA ſeculi bonitate per DEI gratiam gaudemus hodiè, qua omnes Artes, Scientiæ omnes, omneſque Diſciplinæ ſupremum perfectionis gradum attigiſſe videntur. Tot enim tantorumque egregiorum Inventorum acceſſione undique auctæ, hac Ætate feliciores ſunt quam olim, quin etiam facilior eaſdem addiſcendi ratio, modus exercendi facilior. Hoc ſi ubibi verum, veriſſimum ſanè deprehenditur, in Nobiliſſima ſalvandorum Hominum Arte, MEDICINA, cujus profectò tàm mirabili ingeniorum acumine fulgentiſſima ſidera, ſagax hodiè ac fœcundiſſimum protulit Seculum, ut eorum ſplendore Medicorum Schola, non modo clariſſimis rationum demonſtrationibus illuſtrata, quàm novis abſtruſarum olim difficultatum ac tenebrarum Inventis & Experimentis locupletata extet. Unde illorum in Re Medica tanti uſus, frequens conſideratio, nos tandem rapuit, ut pro mitigando paululùm Cœli Italici nimio calore ſingulas Medicinæ partes percurrere, quæque in qualibet ſeu Veteribus incognita, aut ruditer ſaltim adumbrata, ſeu præ antiquis perfectiora & meliora, ſeu planè nova, feliciorem Artem hodienùm reddentia, deprehendimus, paucis adumbrare foliis, apud animum concluſimus. Tu proinde BENEVOLE LECTOR, ſi quid liberius aut inconcinnum ex juvenili fervore effutivimus, ignoſce, primis hiſce conatibus noſtris, ad exornandam Medicinam directis, fave, & feliciter Vale.

Feli-

FElicem & verè felicem Artem Apollinarem, ſtrenuumq; ejus Sectatorem, ſi quicquã aliud, tot tantaque nobiliſſima Inventa, & eorum inæſtimabilis uſus hodiè reddunt; quæ inter primo omninò loco nominari meretur, admirandum illud ſagaciſſimæ Naturæ artificium, quod CIRCULATIONEM, ſive *circularem* aut *peridromum* SANGUINIS *Motum* vocant: quem, cùm ab omnium Medicorum antiquiſſimo Antiſtite, *Hippocrate*, in ſcriptis ſuis hinc inde, paulò licet obſcurius, Doctiſſimo *Antonide van der Linden* comprobante, delineatum, *Gulielmus Harveus*, vel hoc ſolo nomine immortali laude digniſſimus, Año 1628. in apricum deduxiſſet, dici non poteſt, quam lubentiſſimis amplexibus mox omnes cordati Æſculapii Filii, hoc utiliſſimum dogma prehenderint; idque propter incomparabilem quem præſtat uſum; cùm ad Morborum cognitionem, tùm quoque eorumdem citiorem, tutiorem, jucundiorem, adeòque & feliciorem curationem.

Ut ut autem non defuerint, quibus pulcherrima hæc Doctrina primùm non arriſerit, illi tamen, rem rectæ rationis trutina perpenſa, firmiſſimam deprehenderunt; id quod præ aliis ſuo teſtatur exemplo, Eruditiſsimus *Vopiſc. Fortunat. Plempius* Acad. Lovanienſ. Prof. Prim. qui in *Fundament. Medic. Lib.* II. apertè pronunciat: *Primùm hoc Inventum mihi non placuit, quod & voce & ſcripto publicè teſtatus ſum; ſed dum poſtea eidem refutando & explodendo vehementius incumbo, refutor ipſe & explodor: adeò ſunt rationes eius non perſuadentes, ſed cogentes. Omnes examinavi, & in vivis aliquot Canibus, eum in finem à me diſſectis, veriſſimas comperi.*

Hoc enim æternę Veritatis, & ad oculos demonſtrabile nov-antiquum Dogma illud eſt, quò primo demum innotuit: quid revera ſit Temperamentum, Calidum innatum, Humidum primigenium; unde Corporis humani partes vivant, vigeant, augeſcant & conſerventur, de quibus tantoperè hallucinati ſunt Veteres.

Hoc tot vanos Spiritus caſtigat, vulgatos quatuor Humores inane teſtatur figmentum, de Animæ facultatibus eiuſq; actionibus rectius judicat, & Nutritionis ac Generationis, miris difficultatibus olim implicitæ rationem, clariſſimè demonſtrat.

Hoc denique, ceu fundamento tota Phyſiologia Medica nititur, quo bene jacto, ea prorſus aliam

longèq; ſpecioſiorem induit faciem, ac habuit olim; feliciſſimis cùm Medicorum, tùm ipſorum etiam Ægrotantium rebus.

Quanti præterea ex præſtantiſſima hac Circulationis Sanguinis doctrina, ceu fœcundiſſimo fonte, in Pulſuum Criſiumque cauſas, Naturæ expurgationes, Alimentorum diſtributionem, omneſque Fluxiones, atque ferenda ex iiſdem judicia, ſcaturiant rivuli, brevitati ſtudentes, ſilentii ſipario involvemus; hoc unum ſubnexuri aſſertum: Circularem ſanguinis motum quamplurimis obſcuriſſimis Problematibus, multorumque abſtruſorum p.n. affectuum cumprimis autem Febrium faciliori cognitioni, (addimus & Medendi Methodo, ſæpè hactenus experientia magis quàm ratione ſuffultæ,) luce meridiana clariorem fœnerari lucem.

Atque hæc, ſi ita ſe habent, prout nemo hodie amplius dubitat, quis adeò ve cordis ſit Animi hebetiſque Ingenii, qui non agnoſcat, Neotericam Medendi Artem, præ veteri illa multo eſſe feliciorem?

Delineato Circulationis Sanguinis Invẽto, quod ceu primum & præcipuum tot aliis, in Anatome præprimis largiſſimam anſam præbuit, plures egregii uſus Anatomicas Recentiorum detectiones perluſtrare eſt animus; orſuri à *candidis* illis *Chyli tubulis*, VASIS LACTEIS vulgò dictis, quæ cùm Veteri-

bus ignota planè fuerint, ſi *Eriſiſtratum* excipiamus, qui in Hœdis nuper lactatis arterias ἀρτηρίας, lacte mox plenas conſpexit, *Caſparus Aſellius*, Anatomicus Ticinenſis Año 1622. primus ea publicè demõſtravit; cujus veſtigiis inſiſtentes hodierni Anatomici, in Naturam & Uſum vaſorum horum accuratius inquiſiverunt, inſignem eorum uſum in Chyli ſeparatione Adipisq; generatione miris deprædicantes laudibus.

Egregium porrò Inventum videmus in DUCTU THORACICO, jam olim quidem *Bartholom. Euſtachio* per tranſennam viſo, ſed à *Joh. Pecquero*, Pariſienſi Medico, longè poſt demum, Año nimirum 1651. plenius ac planius detecto. Hujus Canalis affectio, quantum ad declarãdas aliquot diriſſimorum Morborum cauſas, Inappetentiæ puta, Diarrhœæ, Cruditatum, imo ipſius Atrophiæ conferat; integra teſtantur probatiſſimorum Scriptorum volumina.

Nec minoris momenti hodiè habetur, DUCTUS PANCREATICUS, vulgò *Wirſungianus* appellatus, rectius verò *Hoffmannianus* dicendus, Excellentiſſimus enim *Maurit. Hoffmannus*, inclyti Altdorffini Athenæi Prof. Prim. Patronus ac Promotor noſter ſummè Colendus, hìc Patavii Año 1642. cùm tum temporis ſtudiorum gratia ibidem degeret, eundem Ductum priori Autumno ante *Jo. Georg. Wirſungum*, cujus domeſticus tunc erat, in Gallo Indico clarè ipſi

oſtendit. Et quâvis, *Wirſungo*, brevi poſt præmatura morte prævento eximium digniſſimi Inventi uſum excogitare non liciuerit, non defuere tamen alii, qui id negotii in ſe ſuſceperunt, & quàm feliciſſimè fuerunt admoliti; illi videlicet de Re Medica optimè meriti *Franciſc. de le Boe Sylvius* & *Guerner. de Graeff*, quorum doctiſſima ſcripta publicè extantia, ſilentium hìc nobis imponunt.

Progredimur ad aliud quoddam ſubtiliſſimum Neotericorum Inventum, de quo Antiquitas ne per ſomnium quidem cogitavit, ſed hujus demum ſeculi, docti Anatomicorum cultelli aperuerunt: minuta inquam illa VASA LYMPHATICA, *Cryſtallina*, aliis appellata, de quorum Inventionis gloria multi inter ſe decertarunt. Dubium enim eſt, an primùm reperta ſint vel ab *Jolivio*, Londinenſi Medico Añô 1652. vel à *Thom. Bartholino*, *Caſp. Fil.* Añô 1654. vel ab *Ol. Rudbeckio*, Anno 1658. Plurimi tamen primam detectionis laudem *Bartholino* partiuntur.

Uſum eorum attingere, ſupervacaneum hìc loci cenſemus, cùm prelaudatus *Bartholinus*, plenam Vaſorum horum hiſtoriam variis ſcriptis orbi propalaverit, ac multiplex illorũ affectio, in Hydrope, Anaſarca, Cachexia & ſimilibus, unicuiq; facile conſtet.

His acceſſerunt DUCTUS SALIVALES, cùm *inferiores*, tùm *ſuperiores*. Illorum primus αὐτόπτης fuit *Thom. Whartonus*, horum verò *Nicol. Steno*, Viri i

Re

vit, ut dubitare de iis amplius non poſſit, recenſere lubet; quorum nomine, præter citatos jamjam, Celebriores nobiſque tantùm noti veniunt, vera illa Anatomiæ Lumina, ac præſentis ſeculi Decora inſignia: *Caſpar. Hoffmannus*, *Guerner. Rolfincius*, *Joh. Theodor. Schenckius*, *Hermann. Conringius*, *Gothofred. Mœbius*, *Joh. Daniel Horſtius*, *Joh. Bohnius*, *Gunther. Criſtoph. Schelhammerus*, *Joh. de Muralto*, *Nathan. Highmorus*, *Georg. Entius*, *Robert. Boyle*, *Thom. Wilkiſius*, *Gualther. Charleton*, *Joh. van Horne*, *Sibald. Hemſterhuys*, *Hieronym. Fabrit. ab Acquapendente*, *Domenic. de Marchettis*, *Anton. Molinettus*, *Joh. Walæus*, *Michael. Lyſerus*, *Anton. Deuſingius*, *Gerhard. Blaſius*, *Ludovic. Bilſius*, *Marcellus Malpighius*, *Carol. Fracaſſatus*, *Franciſc. Gliſſonius*, *Alexand. Maurocordatus*, *Laurent. Bellinus*, *Richard. Loberus*, *Gothofred. Bidloo*, *Jac. de Back* aliique.

Ex hactenus itaque dictis abundè nobis patere perſuademus, primam hanc Medici Syſtematis partem, quam PHYSIOLOGIAM vocant, & ſub qua ipſam etiam Anatomen comprehendunt, à tot tantiſque mendis, hodiè velut Angiæ ſtabulum repurgatam, tot tantiſque ſplendidis Inventis auctam, tot tantiſque in locis mirificè emendatam, pre illa veteri, innumeris dubiis inquinata, undique manca, nullibi perfecta, caput, juxta *Poetam* tantum extollere.

Quan-

Quantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi.

Unde non immerito, Danus ille Æſculapius, *Thom. Bartholinus, Lib. Dubitat. Anatom. de Lact. Thorac. Cap.* 5. in hæc concinna erumpit verba: *certè*, inquit, *nullus dubito, quin ſi Veteres ab Orco revocati, Theatris noſtris Anatomicis inducerentur, atque quam ipſi tractarunt Artem, in tàm longè cultiorem redactam intuerentur formam, in alium terrarum Orbem ſe crederent delatos, plurimaque damnarent ſua, & abrogatorum dogmatum volumen nobis relinquerent, antequam Stygias redirent ad undas.*

Equidem non diffitemur à prima Machaoniæ hujus Artis origine, ad noſtram hanc uſque ætatem multa eaque præclara Inventa ſemper eſſe excogitata; affirmare autem nihilominus neutiquã veremur, plura nunquam ei acceſſiſſe, quàm hoc noſtro ſeculo, & ſpeciatim his ſaltim quinque circiter luſtris, præ reliquis, fautricis Naturæ clementiam eam affatim eſſe expertam, Inventorum multifariorum numero ac pręſtantia plus quam felicibus.

Quamvis autem Recentiorum hæc Inventa merito extollenda arripiendaque æſtimemus, non tamen eò devenimus dementiæ, ut Veterum placita temerè deſpicienda, ac ſusque deque habenda cenſeamus, hoc tantùm demonſtraturi: ob eaſdem Detectiones novas, hodiernam Medicinam exiſtere & feliciorem & faciliorem.

Enim

ENim verò videamus præterea quantum hiſce temporibus cæteræ Medicinæ partes profecerint. Quas inter primùm ſe ſiſtit PATHOLOGIA; in qua multi Affectus, olim procul dubio itidem quidem graſſantes, minus verò obſervati aut cogniti, diligentiori inveſtigatione inotuerunt demum hodienùm. Quanto autem intimius Morbus cognoſcitur, tanto quoque facilius eundem curari, tàm notum eſt, quàm quod notiſſimum.

Gratulandum proinde huic Ætati noſtræ, quod adeò felici ipſi eſſe contigit, ut quod Veteres nec cognoſcere nec curare potuerint, utrumq; caleant Moderni,

Si Deus adfuerit, vireſque infuderit herbis.

Hoc amplius, quot non miſeri corporis noſtri ægritudinum abditæ aliàs cauſæ, vel ſolis Diis cognitæ habitæ, vel ipſis tenebris obſcuriores, nunc primùm in apricum eductæ, mirandumque in modum, effectus & aliorum accidentium prudenti collatione, ſunt illuſtratæ?

Si quæ quondam Morborum cauſæ non adeò in propatulo erant, nihil aliud ſpectando Veteres, illicò Occultas Qualitates increpabant, & ad hoc ignorantiæ aſylum, ceu ad ſacram anchoram confugiebant. At nunc, quàm non ſollicitè circum-

ſpiciunt omnes cordati Medici, de vera cujusvis Invaletudinis invenienda ratione? quid non tentant? quæ non Experimenta faciunt? quas non Obſervationes in conſilium vocant? quam non inter ſe conferunt?

Quis ante incomparabilẽ *Thom. Williſium* Febriũ naturam ritè intellexit, earumque paroxyſmorum & acceſſionum cauſas, perſpicuè reddere ſcivit? Illam enim ſuppoſitionem: Febrem Tertianam à bile, Quotidianam à pituita, Quartanam à melancholia oriri, præterquam quod ipſi ſi Humores fictitii videantur, erroneam eſſe, (niſi ſaniſſimè explicetur) omnium rerum fida magiſtra, Experientia ſatis declarat.

De Peſte, Morbis malignis ac venenatæ Naturæ legibus, quis convenientius ſenſit unquàm, ſtupendo illo Mundi miraculo *Athanaſio Kirchero*, & Eruditiſſimo *Isbrand. de Diemerbræck?* cùm priſca Medicorum cohors, in indagandis illorum cauſis, tantopere incaſſum ſudaverit.

Verùm, quorſum delabimur? omnium Morborum cauſas, ſi, uti poſſemus, impræſentiarum vellemus enarrare, non defuturi eſſent, qui Iliada poſt *Homerum* ſcribere, aut crambem bis coctam apponere, nobis objicerent.

SEMIOTICAM igitur ad examen noſtrum vocabimus; cui, ut duo potiſſimum ſiſtamus, inſtituti ratio ſuadere videtur, PULSUUM alterum, alterum URINARUM ſigna concernens.

Illorum doctrina olim intricatiſſimis ſimul ac inutiliſſimis differentiis premebatur, in quibus adeò prolixi fuerunt Veteres, ut iis probe duntaxat intelligendis, nedum obſervandis, vix Hominis vita ſufficeret. At nonne hoc difficilem ſtudio reddere Artem eſt?

Præprimis autem *Galenus* doctrinam hanc Sphygmicam adeò acuto, ſubtili, ſed & obſcuro ſtylo tradidit, ut ne quidem ipſemet Author, rectiſſime monente, Summo illo ſummi judicii Viro, *Joh. Baptiſt. Montano*, tot Pulſuum differentias, ad oſtentationem potius, quàm verum uſum excogitatas, unquam obſervaſſe, nec Subtiliſſimus *Scaliger* eaſdem aſſequi poſſe videatur; non immerito propterea à Recentioribus abrogatas, & ad pauciores, ſufficientes tamen, eaſq; ad praxin neceſſarias, redactas.

Hinc felices nos iterum, qui tantis difficultatibus totque laboribus operoſis circa neceſſariam hanc doctrinam olim inſumendis, jucundè nunc ſuperſedere poſſumus; id quod ſola prælucente Circulationis Sanguinis face, nobis datum eſt. Nam prout

protruſio Sanguinis in Arterias aliter atque aliter ſe habet, eundem planè in modum Pulſum quoque variare, & viſu & tactu deprehenditur.

Ingenioſiſſimum illud Machinamentum PULSILOGIUM dictum, quo omnes Pulſuum differentiæ, accuratè dimetiri poſſunt, & quod Veteribus nec per ſomnum quidem in mentem venit únquam, uc verbulo ſaltim attingamus.

De fallaci illa Urinarum inſpectione, prout Veteres quondam eam exercuerunt, nemo Clariſſimo *Nicol. Taurello* rectius ſentit: *Etſi*, appoſitè ait, *genius ex Æſculapio, Hippocrate, Galeno, & Avicenna, cæteriſquè Medicis, chimicè perfectiſſimus extraheretur, qui unius hominis illuſtraret cerebrum, is tamen non aſſequeretur, quod Vulgus à Medico in Urina requirat inſpicienda.*

Conſtat namque, quoſdam ex priſcis Medicis, leviter ſaltim inſpecta Urina, ſtupenda, & quæ fidem, longe ſuperabant prædixiſſe, Magicaſque ſæpe ſæpius Artes interveniſſe. Et ſic vilis ac ſtolidus olim Vulgus decipi volebat, hæcque mirabatur, & eximium illum demum credebat Medicum, qui hocce fuco optimè ipſum ſciebat deludere.

Sed & in hoc paſſu longè ultra Veteres ſapiunt Moderni, qui cautius interea mercari docti, nec toties inani hoc Urinarum extiſpicio, decipi patiuntur, nec credulum ignarumq; Vulgum turpiter de-

cipere

cipere conſueverunt; certi, neque omnia, neque nulla, latentem in corpore morbum prodentia ſigna, inde habenda eſſe.

AD alteram generalioris Medicinæ partem; THERAPEUTICAM, ut accedamus, inſtituti ratio poſtulat. Hæremus autem in ipſo ſtatim limine, rerum multitudine, quæ hìc ſeſe offert adeò territi, ut quid primò, quid poſterius, quid denique differendum, vix medidando abſolvere poſſimus. Quæ enim hoc noſtro demum tempore, innovata, reformata, caſtigata, ac generoſorum animorum induſtria adaucta in ea cernimus, tanta ſunt, ut potiora tantùm recenſere, dubiam nobis afferant curam.

Idcirco artificioſiſſimum illum Pictorem, *Timoathem* ingentis Cyclopis magnitudinem parva in tabula expreſſurum, pollicem duntaxat eius, (quem Satyri juxta picti, thyrſo metirentur,) ſuo penicillo adumbrantem, imitaturi; levi ſaltem brachio, præcipua hodiernæ Medicinæ felicitatem teſtificantia in medium adducamus.

Agmen itaque ducant egregiæ MEDICAMENTORUM PRÆPARATIONES, tantò digniores, quantò per has ipſas afferto noſtro confirmando, majus acceſſurum pondus ſperamus.

Olìm vel omnes ignorabantur, vel pauciſſimæ &

levio-

leviores ſolùm in uſu erant. Cruda crudo injiciebantur ſtomacho, ut præparet demum, quæ nec alii ſciverunt, nec ipſe præparare potis eſt. Ingratiſſima pocula & nauſeabundos hauſtus, quorum vel ſolo aſpectu tenera cutis horrore concuſſabatur, averſari nemo audebat. Sic faſtidiens Ventriculus caſtigabatur potius, qui recreandus erat, ac ſæpe hoc ipſo momento reddebat, quod invito eo obtrudebatur.

Hodienùm, ſi Medici ſuis Ægrotis talia propinarent Medicamina, quid quæſo, eſſent reſponſuri? Debilitari nimium quantum ſtomachum, ac tàm ingratum pharmacum totam averſari ἰδιοσυγκρασίαν, hincque verendum eſſe, ne ingraveſceret morbus, & coactè hæc talia aſſumens, in præſentiſsimum vitæ periculum incurreret.

Quapropter palato omnibus viribus ſtudendum. Non enim amplius placent longiſsimę illę & abominabiles *Galenicorum* Potiones: ſordent decumani Boli: reſpuuntur numero innumerę propemodum uno hiatu deglutiendę Pilulę, aliaque nauſeoſa Medicamenta. Jucunda noſtris Ægris propinare oportet, ne ſtomachabundi Stomachi prius ea rejiciant, quàm corporis ſubierint penetralia; ingratiſsimaq; aliàs Medicamenta, in gratiſsima ſunt convertenda; hac tamen cautela, ut quantum fieri poteſt efficacia eorum minimè infringatur.

In-

Inſuper ipſa Præſidia cautius hodienùm exhibentur, eorumque delectus prudentior habetur, quàm elapſis abhinc temporibus, unde neceſſariò felicior etiam illorum ſubſequitur operatio.

Nonne PURGANTIA tantæ olim ferociæ à Veteranis Medicis exiſtimabantur, ut non niſi venena ea proclamarent, Naturæque vim leviſsimo etiam illorum uſu, immane quantum deſtrui ac debilitari crederent? At nunc tantum abeſt, ut hunc edant effectum, ut potius fortioribus eorum & δραστικοῖς, imo etiam Antimonialibus, pro ipſiſsimis venenis quondam habitis, ſine ullo corroſionis aut Naturæ deſtructionis metu, creberrimè liceat uti.

De SUDORIFERIS vix cogitabant Veteres: quo tamen Medicamine, an detur generoſius præſentiuſque, in Malignitatibus maximè, Febribus, Inflammationibus internis &c. non immerito vocatur in dubium.

OPIATA, à Foro Medico prorſus præſcripta & ad barethrum detruſa, ex Veterum voluminibus conſtat: quid autem hodiè ad placandos plurimorum Morborum dolores, adhibetur frequentius?

Verùm enim verò, ſingula præſidiorum genera ſi recenſenda eſſent, in multa folia opuſculum hocce excreſceret, & inſtituti limites volentes tranſgrederemur; intra quas tamen ſtrictiſsimè nos continere velle, in Animum induximus.

Nihi-

Nihiloſecius, haud ſicco pede prętereundum, illud tantum non infallibile febrifugum, quod à natali ſuo loco *Cortex Peruvianus*, aliis, *Cortex Jeſuiticus*, (primò enim omnium *à P. P. Jeſuitis* Año 1650. ex Peruviano Regno Romam eſſe delatum, Author eſt *D. d' Acquin*) frequentius autem CHINA CHINÆ audit, qua omnis generis, intermittentes præcipuè febres, præmiſſis præmittendis, uno plerumque quaſi ictu retundere licet, & quo Antifebrili remedio hodie increbreſcente mederi vel Tirones ſciunt.

At olim quantæ molis erat, quamque ardua ac difficilis res videbatur, Medicis Veteranis, quibus ſalutaris hic Cortex nondum innotuit, leviculum etiam tantummodo tollere febrem?

Et ita profectò omninò ſe res habet. Nulli etenim unquàm Remedio potiori jure ſpecifici nomen quàm prædicto adſcriptum eſt; quando nulla illata Naturæ vi, nulla, quomodocunque etiam ſumatur, inducta ſenſibili evacuatione, teſtante acutiſſimo *Williſio*, non effœtarum qualitatum ſubſidio, ſed propria, ſpecifica & ſeminali vi, Febres infallibiliter adeò tollit, ut unanimi Medicorum conſenſu, ad earundem profligationem tutiſſimum ac optimum Præſidium, quo nullum hactenus præſtantius innotuit, decantetur. Unde non immerito principem illi deferre locum, inter omnia quot quot ſunt Medicamina exiſtimat Doctiſſimus *Syndenham*.

De

De indagando operandi modo circa hoc Medicamentum, tàm alacriter certavit Modernorum induſtria, ut longum foret ſententias eorum hìc recenſere; lubet tamen paucis annectere: quòd ſæpe alligatus *Williſius*, ex fermentatione particularum ſanguini permixtarum, *Honorat. Fabri*, ex corpuſculis ſtriatis multoque igne conſtantibus, *Jo. Jones*, Lector olim Patavinus, ex indole terreo-ſalina, *Joſeph. Donzellus & Vincent. Protòſpatarius*, ex febrilis fermenti præcipitatione, *Frideric. Hoffmannus*, in Acad. Hallenſi Prof. Publ. Fautor noſter plurimum Colendus, ex eiuſdem fermenti extinctione, *Pompeius Sacchius*, in celeberrima hac Antenorea Prax. Extraord. Lect. Publ. in primo loc Patronus omni ſtudio Honorandus, in mixtura alkali & acidi, *Thom. Donzellus*, *Joſephi Fil.* Medic. Neapolitanus, Fautor noſter Æſtumatiſſimus, ex diverſitate ſaporum, *Nicol. de Blegny*, ex ſtyptica & adſtrictoria eiuſdẽ vi, *D. Monginot*, Med Pariſienſis ex partibus, tenuibus, pungentibus, & amaris, *Raymund.* denique *Reſtaurandus*, ex amarore & caliditate, febrifugam Peruviani hujus Corticis indolem deducant.

Præterea, quæ non ſtupendæ compoſitiones, ex univerſali hac Febrium Panacæa ſunt excogitatæ? ut: admirandum Remedium Anglum, ſive Arcanũ febrifugum *D. Talbot*, Angli, qui ob id ipſum à Galliarum Rege, magnam Auri vim, annuos reditus, at-

que Equeſtrem ordinem eſt conſecutus. Aqua Febrifuga *D. de Mayerne*. Tinctura Chinæ Chinæ *Joh. Dolei*. Febrifugum ſingulare *D. du Clos*, aliaque plurima.

Quid dicemus porrò de Clariſs. *Adrian. Helvetii* Medic. Pariſienſis, noviſſima methodo, Febres omnis generis ita curandi, ut nihil ore exhibeatur, per ſolos nempe & iteratos Clyſteres ex China Chinæ tantùm conſtantes: quod cum tanto ſucceſſu præſtitit, ut in *Tractat. ſuo* de *nova hac Methodo*, plus quàm quinquaginta Febricitantes Lutetiis Pariſiorum ſolùm prædicto modo curatos recenſeat.

Accedit, quod decantatiſſimus iſte Cortex, febrifugo non ſolum, verùm etiam maximè polychreſto gaudeat uſu; ſiquidem modò citatus *Joh. Jones* Hydropem hoc ipſo depulit. *Comes Hieronym. Sancta Sophia*, hujus Academiæ olim Lector, in Hypochondria eum deprædicavit. *Raymund. Reſtaurandus*, Fluxui hepatico opportunum hoc remedium aſſeruit. *Chriſtoph. Pallavicinus* Medic. Mediolanenſis, Cachexiam, alii alios morbos hujus ope feliciter profligàrunt.

Quod ſi igitur plura eiuſdem prestantiæ ac infallibilitatis in Medicis Scholis extarent Medicamina, quis quæſo feliciori eſſet Medico?

Per-

PErtractatis ſic leviter Principalioribus Medicinæ partibus, ad Miniſtras deproperabimus gradum. Quas inter primàs communiter tenet PHARMACIA, ſub qua ſimul novam ejuſdem partem, CHIMIAM, quæ non immerito Celeberrimo *Georg. Wolffgang. Wedelio* in alma Salana Prof. Publ. Ordin. Patrono ac Præceptori noſtro jugi obſervantia ætatem proſequendo ipſiſſima Pharmacia ſelectior audit, complecti nobis liceat.

Hæc etenim eſt, quæ tot ſtupenda nobis Dei Omnipotentis opera patefacit, Medicumque reddit ἰσόθεον, καὶ πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων; quæ tot pandit Naturæ arcana; quæ Sympathiæ & Antipathiæ effecta admiranda inquirit; quæ tot antehac ignotas Medicamentorum preparationes, Vegetabilium denique, Animalium ac Mineralium abditos, & in ipſo Naturę ſinu reconditos uſus detegit: ut ita in genus humanum ingrati ſint, qui hanc Artium Dominam, debita veneratione non excolant.

Inde nimirum fit, quod Pharmacopolia noſtra, duplo, ne dicamus amplius auctiora hodiè conſpiciuntur, ob plurima quę in iis proſtant, Arte hac Chimica parata maximarum Virtutum Medicamenta: EXTRACTA, ELIXIRIA, ESSENTIAS, TINCTURAS, SPIRITUS, AQUAS, OLEA, MA-

GISTERIA, BALSAMA, FLORES, SALIA &c. quę tantò magis Pręſidiis *Galenicis* ſunt anteferenda, quantò iis ſunt puriora; cùm craſſa & impura materia, quę illis antea impacta erat, per deſtillationem artificiosè ſeparatur, & affuſis propriis ſuis menſtruis, qualitas omnis nociva adimitur.

Et ſanè, ſi quid eſt in tota Medicina laude & commendatione dignum, Inventio certè remediorum chimicorum, miram jucunditatem Ægris prębentium, id erit; Nam licet eorum quàm minima ſit doſis; virtute tamen *Galenica* pharmaca, triplo majore etiam doſi exhibita, multùm ſuperabunt.

Actum eſſet de Pręſidiis generoſis, jucundis, delicatis, ſi non ex Chimia illa mutuemus. Quis fert hodie niſi exſurdati exoletique palati, menſuratas illas *Hippocraticas* potiones; illa faſtidioſa *Galeni* cathartica; poſtquam aliquot Eſſentię cujuſdam aut Spiritus chimicè extracti guttulę, parem non ſolum, ſed & meliorem, citiorem, tutioremque edere effectum, ſatis ſuperque comprobat; fallere neſcia Veritas.

Quemadmodum autem, quò quid eſt nobilius, tantò magis infeſtatur: ita etiam nobiliſſimę huic Pyrotechnię non deſunt imperiti Thraſones & Lucifugę plurimi, pręcipuè ſub hoc Cœli climate, qui ex mero odio, aut profunda potius ignorantia pleno gutture clamitant: Medicamenta Chimicorum

venena-

venenata eſſe, periculoſa, violenta, nidorem ingratum redolentia &c. Sed quibus digniſſimum patellâ prębuit operculum Solertiſſimus ille Naturę inveſtigator *Ol. Borrichius*, *in Diſſertat. de Ortu & Progreſſu Chimiæ*: *In manu ſapientis*, inquiens, *pharmaca Chimica periculo omni vacant; in inſipientis etiam Galenica totidem gladii ſunt, in dextris totidem furentum*.

Innoxia quippe ſunt Medicamenta chimica & tutiſſima, magnęque activitatis, modo rectè utentem nanciſcantur; adeòque noſse hęc omninò oportet. Imò ſi ſeculum prçſens aſpiciamus, non ſinit illud nos eſſe Medicos bonos & abſolutos ſine Chimia; quę unà cum Anatomia ſtupenda acceſſione Medicinam adeò beavit, ut qui hodiè laude dignum aliquid pręſtare velit, mediantibus hiſce duabus id facere debeat.

Hanc in rem appoſitè perquàm non ſine laude nuncupandus *Wedelius*, *Pharmac. in Art. form. redact. p. m.* 5. *Hodiè Medici nomine non dicam indignus eſt, ſaltim miſer Medicus, qui Chimiam ignorat, miſerior qui odit*.

Ex Laboratoriis enim chimicis addiſcent Miſochimici v. g. Hepatis, Lienis, aut alius viſceris inflammationem, non ſola *V. S.* aut ſolis illorum *Decoctis refrigerantibus*, extingui; ſed potius liquoribus acetoſis, ex *Nitr. Sal. Vitriol. Sulphur.* elicitis, & cum liquoribus convenientibus permixtis, longè melius

de-

depelli ac profligari poſſe; experientia id abunde comprobante.

Quis ardentes hodie febres coërcet, niſi *Spirit: Sal. Spirit. Vitriol: Spirit. Sulphur.* in ſubſidium vocato? quis facile acceſſionum initia ſiſtit, ſine *alkalibus plantarum Salibus?* quis animi deliquia ſine *cephalicis Spiritibus* ſuſpendit? Ut ſexcentos alios uſus, ex fœcundiſſimo Chimię fonte promanantes, brevitatis cauſa omittamus.

Abunde igitur liquet, quid ſentiendum ſit, de illis Tenebrionibus & Miſochimicis, qui rident & contemnunt omnia, ſapienter à Philochimicis inventa & poſita. Sed quid inde? nam:

Dente Theonino licet uſq; petatur & uſq;
Attamen ipſa ſuum Ars commendabit Alumnum.

Silentii peplo pręterea involvere nefas ſit, illas, ante aliquot demum luſtra in *Belgii* & *Angliæ* tabernis frequentes, mox & ad nos deductas, decantatiſſimi uſus potiones, THEE, COFFEE & CHOCALATA, quas non minus ex Chimię incunabulis originem duxiſſe ſuam, atq; non contemnendo uſu Medico pollere, certò perſuaſum nobis imus.

Naſcitur autem *Thea* vel *Tiza* in China & Japona, & perhibetur Arbor. Myrti ſimilis, è cujus foliis Sole ſiccatis potus iſte conficitur quàmmaxime hodie familiaris; qui multi uſus in omnibus, cerebri & nervoſi generis Morbis creditur. Certum tamen

eſt,

eſt, Spiritus hoc potu mirum exhilarari, reddique fluentes; unde Hypochondriacis maximè confert. Et quia ſuſpicatur, folia optimę notę ad nos raro, aut non omninò advehi; nonnullos ſua movit curioſitas, ut eodem modo *Betonica* & *Chamæpity*, cum non minori propemodum effectu utantur.

Potus *Coffee* è baccis cognominibus ex Arabia, Perſia & India delatis, paratur. Qui licet ob gratiam ſaporis, (nam cruſtam panis uſtulatam ſapit) ad ſui uſum neminem facilè alliciat; nihilo tamen minus plurimi Europę Populi, potum dictum, quafini, neſcimus, copioſiſſimè pitiſſando, in tabernis deſidentes, tempus hodiè fallunt.

Cacoas Mexicanę Incolis illi dicuntur fructus è quorum nucleis cum aromatis quibuſdam componitur maſſa, quam *Chocolata* nuncupant. Ea in Aqua, Vino, Lacte, aut alio liquore idoneo ſoluta fit Potus, in Hiſpania jam pridem celebris, nuper etiam in reliquis Europę tractibus ſatis notus. Uſus eiuſdem prę aliis eſt laudandus; frigido namque Ventriculo multum prodeſt, viſcera corroborat, vires proſtratas reſtaurat, Venerem valdè proritat, & optimum prębet nutrimentum; unde Phthiſi & Atrophiæ cautè adhibitus, ſępe medetur. Bilioſis, loco aquę aut lactis, à Medicis *Aqua Endiviæ* aut *Cichorii* vel *Emulſio quatuor Sem. frigid. major.* commodè ſubſtituitur.

Tribus

Tribus hiſce potibus recenſitis non immerito adjungimus, illud hodienùm nemini non notum fumiſugum præſidium, quòd ab Authore ſuo Nicotio, Nobili Gallo, *Nicotiana* frequentius verò TABACUM vocitatur. Planta Veteribus prorſus incognita, & itidem ex Hiſpania primùm ad nos delata.

Nihil profectò unquam produxit Natura, cujus uſus tantilli temporis ſpatio, tam latè ſeſe extendit, quam iſtius, adeò ut omnibus quaſi Gentibus ſit familiariſſimus. Uſus verò ejuſdem Medicus, quem Phlegmaticis ad defluxiones ſiſtendas, & externè vario modo adhibita; præbet eximium, à Plebe longè vilior habetur illo, quando in cauponis, ad terendum otium copioſiſſimè hodie ſugitur, ubi compotationibus inſervit, quas, ſugentium fauces calefaciendo, egregiè promovet.

De altero, notiſſimam hanc Herbam uſurpandi modo, quo ordinariè ea ſola, aut cum aliis remixta, in pulverem, & more Hiſpanico in alcohol redacta, naribus ſufflatur, nihil eſt quod dicamus. Nam plurimi ex perverſa tantùm illa utuntur conſuetudine, quæ hìc imprimis locorum adeò increbuit, ut nonnulli ne per momentum quaſi eo carere valeant, & intra unius diei ſpatium, incredibilem ſæpe quantitatem conſumant; cùm tamen urgente neceſſitate, meliora multo & Rheumatiſmis magis appropriata in Pharmacopoliis habeantur *Sternutatoria*.

Con-

Conſuetum ſervantes ordinem, ad CHIRURGIAM, vetuſtiſſimam Medicinæ partem breviter pertractandam, nos accingimus, viſuri, quanto & iſta præ illa veteri hoc Ævo exerceatur felicius.

Ubi primò ſe ſiſtit V. S. communiſſimum ſimul ac præſtantiſſimum ejuſdem præſidium; quæ ipſa, bone Deus! quàm non alio longè, ſed citiori, tutiori, jucundiorique modo, celebratur nunc quàm olim? Ille vaniſſimus Venarum brachii delectus, quàm non mentes Hominum quondam adeò dementavit, ut piaculum irremiſſibile crederent, ſi quis unam pro altera tutudiſſet incautius. At nihil penitus intereſſe, utra aperiatur, continuus ille Sanguinis circuitus, ipſorumque Venarum brachii ramorum idem exortus, adeò luculenter comprobant, ut niſi qui ſenſibus fidem negare velit, inficiari id neutiquam queat.

Non eſt itaque, quod de eligenda ea multum hæſitemus, quo nempe nihil aliud efficiemus, quàm ut Ægrotum & timidiorem reddamus, & in majus fortean conjiciamus damnum. Eligatur patentior, & via qua poteſt tutiſſimi ibimus.

De ARTERIOTOMIA quid dicemus? Periculo pleniſſimam eam eſſe omne credidit ſeculum. Jam autem eundem Sanguinem qui Venas occupat, mo-

mento quaſi Arterias itidem ingredi, Circulationis lege docemur: Unde ſi æque per illarum ac harum ſectionem, Sanguis elutriatur, depletur ac imminuitur, & per illas quidem multò commodius minorique cum circumſpectione, fruſtra omnino Arteriæ pertundi nobis videntur.

Hìc diſquiſitionem jure meretur, illa à ſuperius dicta diverſiſſima Venarum ſectio, non evacuandi Sanguinis gratia celebranda, ſed certi liquoris, Inſtrumenti appropriati ope, injiciendi ergò dicata; quam CHIRURGIAM vocant INFUSORIAM vel *Clyſmaticam Novam*: Inventum inter tot egregia felici hoc ſeculo in lucem producta, non infimum.

Primi qui eam exercuere fuerunt *Angli*, primuſq; Author perhibetur *D. Wren*, Math. in Acad. Oxonienſ. Prof. Publ. quem ſtatim exceperunt ſplendidiſſimum illud Acad. Chiloniens. quondam Lumen, *Joh. Dan. Major*, ὁ ἐν ἁγίοις, itemque *Carol. Fracaſſatus*, *Joh. Sigiſm. Elsholtz* & Deſideratiſſimus *Michael Ettmüller*; qui varia experimenta in Chirurgia hac Infuſoria fecerunt, ac eximium uſum eiuſdem publicis ſcriptis ſunt teſtati, ad quæ curioſum Lectorem remittimus.

Cùm namque animadvertiſſent multoties, quomodo ex qualicunque corporis refrigeratione, aliiſque infeſtis cauſis, Variolarum v. g. Morbillorum, Puſtularum purpurearum & miliarium, Petechiarum,

chiarum, aut aliorum Exanthematum ad cutim primùm delatorum, improviſo regreſſu ſubitaneæ Lipothymiæ graviſſimæque Anxietates inſecutæ ſint ſæpe ſæpius, præſentiſſimis etiam incaſſum tentatis remediis; de novo aliàsque incognito præſidiorum genere ſolliciti cogitare cœperunt: ubi tandem invenère, qua via in difficilioribus quibuſdam & ſemideſperatis caſibus, in Venam Ægrotanti ſectam, liquor aliquis ſummæ virtutis ac ſubtilitatis, per Tubulam ad hunc finem affabre fabrefactam, poſſit adigi; quo ſcilicet fermentatio Sanguinis reſuſcitetur, ſudoresque revocentur & eliciantur.

Nec eſt, quod de felici ſucceſſu, ipſiusque operationis utilitate quiſquam amplius dubitet; cùm plurima exempla in modo allegatis Authoribus reperiantur, quæ mediante Clyſmatica hac nova à deploratiſſimis morbis, liberos evaſiſſe Ægros confirment.

Infuſoriæ hujus Artis ſagax indago, acutæ quorundam Menti ſuppeditavit anſam, ad ſimile quaſi comentum, quod TRANSFUSIONIS SANGUINIS nomine venit Neophilis.

Eoſdem agnoſcit natales hæc, quos modo deſcripta Chirurgia Infuſoria; hac tamen differentia, quod Transfuſionis Sanguinis è Bruto in Brutum exercendæ, *Angli* quidem, eius verò è Bruto in Hominem, *Galli* primi Autores perhibeantur.

E *Germanis* noſtris nominatus *Joh. Daniel. Major*, occaſione Chirurgiæ Infuſoriæ, de transfundendo etiam è Bruto in Hominem ſanguine non minus deliberavit; cui merito adjungimus ſuperius memoratum *Maurit. Hoffmannum*, qui referente *Ettmullero in Diſputat. de Chirurgia Infuſor.* per literas ad ipſum olìm hìc Patavium miſſas, inter alia teſtatur, ſe t. t. jam ante aliquot Annos & publicè, & privatim docuiſſe, quomodo in Melancholicis, Epilepticis &c. Sanguis ex Iuvene florido in ægrum mittendus.

Experimenta circa Sanguinis Transfuſionem è Bruto in Hominem, pro debellandis variis Morbis habita, tanta quidem invenire licebit, quanta circa Chirurgiam Infuſoriam, ſed impari longè eventu: ſæpiſſimè enim poſt inſtitutam hanc Sanguinis Transfuſionem, non de curando amplius Ægro, verùm ſepeliendo, cogitandum fuit; de quo pluribus videri poteſt, æternùm Devenerandus *D. Parens noſter*, Ducalis ac Reipubl. Norimbergenſis Medicus, qui integrum *Tractat. de Ortu & Occaſu Transfuſionis Sanguinis* edidit.

Cæterùm tertia Transfuſionis Sanguinis ſpecies, quæ fit ex Homine in Hominem, & ipſi naturæ convenientior, & Ægro utilior videtur; quòd inter Animam ac Sanguinem Hominis & Hominis, major utiq; convenientia intercedat, quàm inter Animam ac Sanguinem Hominis & Bruti; interim tamen, re-

ctiſſimè monente Optimo *Parente* in fin. *Tractat. citat. Nondum exactè ſatis conſtat, præſtetne hoc Artificium imitari, an potius deſpicari.*

Multa reſtarent dicenda, de variis INSTRUMENTIS CHIRURGICIS, quæ curioſa curioſorum diligentia recens excogitavit; aſt quoniam hæc Neotericorum continent Libri, ſtudiò ea impræſentiarum ſuperſedemus: nominetenùs tantùm mentionem facientes, de illo imprimis ſingulari, quo quis ſibi ipſi, abſque alterius interventu, per inferiorem Gutturem (ut cum *Plauto* loquamur) Enema applicare, optimo ſucceſſu valet; Atque altero iſto, pro Vvula abſcindenda aptiſſimo; quo de vid. *Joh. Sculteti Armament. Chirurg. p. m. 316.*

BOTANICA, cui hìc poſtremo locum eſſe volumus, paucarum olim Herbarùm ſcientia; quantis acceſſionibus hodiè fuerit adornata, vel ex ſolis Herbariis, vivaciſſimisq; Iconibus conjectura aſſequi facilè poteſt, ita ut multitudo eius ferè infinita, & inexplicabilis varietas appareat. Cui rei ingans ſanè momentum addidit, quod Principes etiam Viri & Magnates frequenter in ea oblectare ſolent Animos, & nullis ſæpius parcentes ſumptibus, ab exteris & extremis terrarum oris, rariores quaſdam Plantas evocent, quas in ſuis poſtmodum Hortis ceu pretio-

ſum Gemma ſolicitè cuſtodiunt.

Sic nempe Botanophili variis Inſitionibus, diverſarum terrarum additionibus, caloris conveniente modificatione, fictilium proportionata figura, *Amaranthos*, *Caryophyllos*, *Hyacinthos*, *Narciſſos*, *Roſas*, *Tulipas* aliosque ſuaviſſimos Flores, multiplicare, temperare, coloribus variis condecorare, ac velut formoſam & ad ſplendorem apprimè compoſitam Virginem, multifario ornatu inveſtire norunt, ut Naturam pro ſuo arbitrio flectere ac regere quaſi poſſe videantur.

Non deſunt inſuper, qui rigidiſſima etiam Hyeme quas vis Plantas perfectiſſimè producere; quin imo, qod fidem penè omnem ſuperat, ut abſque ſemine repullulaſcant, efficere queunt: quod ipſum apud *Ol. Rudbeckium*, in *Nov. Hort. Cultur.* legiſſe meminimus. Adeoque nihil eſt, quod indefeſſo ſtudio & ſedulo labore perveſtigari non poſſit.

De *nova* illa tàm Officinalium quàm Exoticarum Herbarum *Diſpoſitione* & *cognoſcendi Methodo*, in varias varii Botanici abeunt ſententias. Optima præ aliis & Naturæ maximè conſentanea nobis videtur ea, quam fovet Curioſiſſimus ille Plantarum Spectator & Obſervator *Joh. Raius*, qui non Semina duntaxat earumque capſulas inſpiciendas, ſed Flores etiam & Perianthia, non neglecto Foliorum in caule ſitu, probè contemplanda jubet.

Coro-

Coronidis loco annectimus *à Sanct. Sanctorio* primùm excogitatam, MEDICINAM dictam STATICAM, quâ ſui ipſius pondus, ingenti quotidie Machinæ, non ſolùm ante, ſed & inter & poſt Prandium & Cœnam, itemque omnem Cibum ac Potum, expoſuit, ut ei conſtaret, quantum ex victu quotidiano Corpus noſtrum nutriatur, quantumque viciſſim excernat Natura, ſeu manifeſto, ſeu occulto quodam Modo. Quo experimento, per triginta Annos continuato, Aphoriſmos tandem ſummæ utilitatis in publicum, de Medicina hac Statica emiſit, qui hìc videri poſſunt latius.

Ex his itaque hìc ſtrictim & proletariè in medium allatis, unicuique patere arbitramur, ob *nova* hæc *Inventa*, & laudabiles *Acceſsiones*, ac *Emendationes* plurimas, NUNC QUAM OLIM FELICIOREM ESSE MEDICINAM, FELICIORES MEDICOS, FELICIORESQ; ÆGROTANTES.

Minima, fatemur, adducendorum adduximus. Sufficienter ſiquidem ac ſpecialius de ſingulis acturi, limites tantilli Exercitii, quod paucarum paginarum promiſimus, longè tranſgrederemur, & in integrum Volumen diffuſa excreſceret moles. Condonabis igitur LECTOR BENEVOLE! ſin minus curioſitati Tuæ ſatisfecimus, &, ut omittamus alia, temporis anguſtiæ, quæ aliò nos vocat, ex parte id adſcribes.

Quod

Quod reliquum, admiraberis nobis cum Divinum Numen, in tàm ſtupendis Naturæ Arcanis, per ſuos Miniſtros, *Medicos*, currente Seculo feliciter detectis; addito voto devoto, ut tota Artis Pœoniæ cohors, ad amplificandam in dies & provehendam in maius Rem Medicam; certatim enitatur. Sic tandem diva HYGIENE, Hæderæ imitatrix, quæ, cùm imbecillior ſit, quàm ut ſuis ſe Viribus erigere poſſit atque ſuſtentare, altioribus ſeſe Ulmis involvit, involuta latius ſe expandit, atque hoc modo peramplexum ab infimis ad ſuprema pervenit; Regiam ſuam Coronam, tot pretioſiſſimis *novarum Inventionum* Gemmis undique ornatam, præ reliquis Doctrinis in altum magis extollet, tota in tripudiationes ſoluta & juſtiſſima gaudia.

FINIS.

ql 955663

MC

Digitized by Google